



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1858

2201. Graf Günzel von Schwerin verzichtet zu Gunsten seines Bruders
Helmold unter Vermittlung der Markgrafen Otto und Conrad von
Brandenburg auf die väterliche Erbschaft, am 2. August 1276.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56621](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56621)

neplacitum non potuerit nostre gratie reformare, extunc cum omni suo posse contra eosdem suos amicos fideliter nos iuuabit, et si medio tempore, id est infra quatuor septimanas iam predictas, nos vel nostri homines uel amici per terras sepedicti comitis transire uellemus, hoc non debet dictus comes, nec sui homines facto uel consilio impedire. Quamcumque gwerram idem comes nobiscum attemptabit, in illa nos nequaquam deseret, nec nos ipsum; pacem, treugas siue id, quod uulgariter gedult dicitur, ipse non faciet, nisi de nostra fuerit voluntate, nec nos sine ipso concordiam aliquam faciemus. In inpeticione noue ciuitatis Parchem comes Helmoldus antedictus nos non debet aliquatenus impedire. Preterea ex parte sepedicti comitis super Albiam id, quod ungelt dicitur, de cetero non recipietur, sed iustum theolonium secundum quod ab antiquis temporibus est receptum. Idem comes nostris hominibus et uasallis de hiis, que cum ipso facere habebunt, plenam iusticiam exhibebit; nos eciam vice versa suis hominibus iusticiam faciemus. Hec omnia supradicta, sepedictus comes nobis fide data promisit, nos eciam eidem promissimus firmam inuolabiler obseruare. Interfuerunt autem hiis tractatibus testes infra scripti: domini duces Brunswicenses Albertus et Johannes, auunculi nostri, venerabilisque pater dominus Hermannus episcopus Zwirinenfis, Richardus Magnus, eiusdem ecclesie canonicus, Gewehardus, prepositus in Saltwedele, Geuehardus de Aluenfleue senior, Arnoldus de Jagouwe et alii quam plures. Ut autem hec omnia per nos ipsumque comitem supradictum firmiter obseruentur, hanc paginam inde conscriptam sigillorum auunculorum nostrorum ducum Brunswicensium supradictorum ac nostrorum fecimus munimine roborari. Datum Dolflege, anno domini M^oCC^oLXXV^o, XV kalendas Junii.

Mecklenburgische Jahrbücher XI, 260.

2201. Graf Günzel von Schwerin verzichtet zu Gunsten seines Bruders Helmold unter Vermittlung der Markgrafen Otto und Conrad von Brandenburg auf die väterliche Erbschaft, am 2. August 1276.

Nos Otto et Conradus, dei gratia marchiones Brandenburgenses, recognoscimus presentibus publice profitentes, quod uniuersa, que vertebantur inter nobilem virum dominum Helmoldum, comitem Zwerinensem, ex una, et fratrem suum Gunccelinum, parte ex altera, sunt amicabiliter deposita et sopita in hunc modum, videlicet quod idem Gunccelinus nobis mediantibus renunciavit omni hereditati, quam sibi quondam pater suus, nobilis vir comes Gunccelinus felix memorie assignauerat, et similiter privilegio eidem super ea tradito atque dato. Huius rei occasione idem comes predicto fratri suo dimisit Novum Zwerin cum terra Doberen et earum terminis, hoc adiecto, quod ipse Gunccelinus nichil debet vendere in iam dictis terris, sed conferre militibus et uasallis pheodaliter ibidem manere uolentibus, qui ab ipso comite Helmoldo similiter recipere debent eadem bona ab ipso collata

vero titulo pheedali. Illi autem, quos dictus Gunccelinus in dictis terris in pheedaverit, non facient aliquam municionem sive castra, nisi fuerit de dicti comitis voluntate. Quod autem prescriptus Gunccelinus in prehabitis terris subsistere poterit, et subsidium expensarum habere valeat, sepedictus comes eidem dare debet in festo sancti Martini centum et quinquaginta marcas Zwerinensium denariorum singulis annis percipiendis, aut ipse comes in fratris amicitia ordinabit; et si etiam predictum Gunccelinum de medio tolli contigerit, dicta bona ad ipsius fratres libera revertentur. Ut autem hec inviolabiliter conserventur, presentem literam conscribi iussimus et sigillorum nostrorum appensionibus roborari, adhibitis nichilominus testibus idoneis, quorum nomina sunt hec: comes Guntherus de Lindow et dictus comes et frater suus, qui promiserunt supradicta observare sub fidei dacione: Bertrammus de Bentz, Beteko de Ecstede, Johannes de Putlest, Tidericus de Wofterbusch, Johannes de Stegelyz, Conradus de Quittfow, Johannes Crochere, Johannes dictus Man, milites, et alii quam plures fide digni. Acta sunt in Vriensten, anno domini M^oCC^oLXXVI^o, III nonas Augusti.

Meissenburgische Jahrbücher XI, 262.

2202. Die Markgrafen Otto und Conrad sichern dem Bischofe Withego v. Meissen für seine Bestigungen ihren besondern Schutz zu. Ohne Datum.

Nos Otto et Conradus, fratres, dei gracia marchiones de Brandeburg, tenore presentium protestamur, quod cum terra nostra Budesinensis et alie adiacentes provincie essent in statu tam turbido et peruerso, quod quilibet pro libitu, dei et salutis sue immemores, episcopatum Misnensem non vererentur inuadere spolijs, incendijs et rapinis. Et ut nos talibus inuasionibus et iniurijs succurrere dignaremur, venerabilis pater dominus Withego, Misnensis episcopus, nostram in hoc capitans beniuolenciam, quinquaginta marcas argenti liberaliter nobis dedit. Nos igitur sujs desiderijs grato affectu succurrere cupientes, bona Misnensis ecclesie omnia terris nostris adiacentia in nostram proteccionem recipimus, volentes non solum nunc sed tempore quolibet in futuro, vt advocati nostri in Budesin, quicumque pro tempore fuerint, ac alii nostri homines vniuersi predictum dominum episcopum et successores in possessionibus ecclesie semper protegant et defensent, addicientes quod bona Misnensis ecclesie tam libera quam infeodata in libertate tali manebunt, quemadmodum in priuilegio nostro dato super concordia, habita inter ipsum episcopum et Misnensem ecclesiam ex vna et nos ex parte altera, plenius est expressum. Rancorem quoque, si quem habuimus contra dictum dominum episcopum bono animo liberaliter relaxamus. Et ut inter nos et heredes nostros et Misnensem episcopum, qui pro tempore fuerit omnis dissensionis materia conquiescat, fideles nostros Lytherum de Palowe et Thyzonem de Paruwitz milites strennuos specialiter ad hoc pro nobis esse volumus obligatos, eorum accedente consensu, vt vna cum alijs militibus nostris terre Budesinensi